

Villalobos in *Summ. part. 2. tract. 41. difficult. 7. numer. 10. La Croix lib. 3. part. 2. num. 259. Lugo t. 1. disp. 13. num. 4. ubi cum multis aliis dicit esse communem.*

- 29 Quarta sententia vult esse attendendam mentem fundatoris hospitalis, & dicit, quod si fundavit hospitalis expresserit absque aliqua expressione, seu declaratione, parentes divites tenentur refundere expensas, quia præsumentur tantum fundasse pro egenis, utpote opus magis pium, & Deo gratius. Molina de *justitia tract. 3. disp. 203. num. 4. Amostaz loc. cit. num. 70. & in hoc conveniunt omnes citati pro tertia sententia, alique passim. Si autem fundator hospitalis expresserit, aut ex verbis ejus clare concipiatur voluisse, ut redditus illi liberaliter expendatur in aliendis expositis, inspecta solum eorum presentis necessitate absque aliqua consideratione ad parentes, tunc parentes licet divites ad nihil tenentur, quia liberaliter expensæ illæ donatæ fuerunt expositis. Sic Villalobos loc. cit. *difficult. 6. num. 10. Amostaz loc. cit. num. 70. ubi num. 71. subjungit, quod est gravis conjectura donandi liberaliter has expensas expositis, si hospitalis fuerit ditissimum, quia compensatione non indiget. Layman lib. 3. de *justitia tract. 3. cap. 14. n. 4. vers. Dico 3. Sporer tom. 1. tract. 3. in IV. præcept. Decal. cap. 5. sect. 2. num. 41. Quod Lessius de *justitia lib. 2. cap. 19. dub. 2. num. 69. & alii admittunt, nisi expresse fundator dicat pro pauperibus fundare.****
- 30 Parentes divites exponentes filios in locis, ubi aluntur expensis reipublicæ, seu communitatis, tenentur omnino ad ipsas restituendas, & ad omnia damna resarcienda, quia parentes tenentur quantum possunt, sine aliorum gravamine providere filiis alimentis, quæ necessaria sunt ad illorum educationem, & disciplinam. I. Si quis à liberis 5. ff. de agnoscendis, & aliendis liberis, l. Unusquisque 2. C. De infans. expositis. Unde parentes divites tenentur omnino refundere expensas omnes, quas pro aliendis, & educandis suis filiis expositis fecit respublica seu communitas cum gravamine tui pupillorum, viduarum, & aliorum innocentium ad ipsas expensas non obligatorum. *Communis, & à fortiori omnes Doctores citati supra pro tertia sententia; Vid. verb. Adulterium art. 5. d. num. 27. ad 30.*
- 31 Item parentes divites exponentes filios ad ostium alterius, qui ideo facere debet expensas, tenentur ad ipsas restituendas, *Communis.* Qui autem invenit infantem ante ostium suum, & illum ponit ad ostium alterius, quia ea de causa facere debet expensas, non tenetur ad ipsas expensas ipsi restituendas, quia non peccat contra justitiam, cum hunc non inducat in obligationem justitiæ ad providendum tali infanti, quia ad id non tenetur neque ex charitate, cum possit illum inde mittere ad publicum hospitale pro iis infantibus erectum, vel ad ecclesiæ cunabula, & licet teneatur ex charitate ei providere de alimentis, si non esset alius modus illi subveniendi, adhuc non peccaret contra justitiam, quia non est contra justitiam dare alteri occasionem, qua debeat opera charitatis esse necessitate exercere: Immo nec videtur peccare contra charitatem in illum, ad cuius ostium illum infantem exponit, sicut nec esset contra charitatem, si pauperem in extrema necessitate existentem ad illum mitteret ex industria, ut ipse ex charitate teneatur illi succurrere. Sanch. lib. 3. *Consil. cap. 5. d. num. 70. Bossius loc. cit. cap. 9. §. 2. per tot. Lugo t. 1. disp. 18. num. 114. La Croix lib. 3. part. 2. num. 160. Amostaz loc. cit. num. 72. ubi dicit id præsertim posse fieri sine delicto, quando aliquis tunc infamiam, v. g. si sit Sacerdos, aut altera persona gravis, quia pessimi, & maligni dicebantur filium ipsius esse, & idem dicendum, quando non haberet superfluum naturæ, sibi, & suis.*
- 32 Contra debitam providentiam status peccant gra-

vider parentes, si non adhibeant diligentiam saltem mediocrem secundum suam conditionem, ut acquirant, seu saltem conservent bona, quibus filii alantur, habeantque hereditatem secundum suum statum. Item peccant graviter, si bona dilapidando impotentes se reddant ad liberos honeste secundum suum statum educandos, & dotandos. Item graviter peccant parentes, si filios, vel filias invitatas cogant ad ingrediendum religionem, vel statum clericalem assumendum; Unde merito à Concilio Tridentino *sess. 25. cap. 18. de Regularibus* lata est sententia excommunicationis contra eos, qui feminas ad religionem cogunt. Item graviter peccant, si filios, vel filias à religionis ingressu sine justa causa impediunt. Item si filios, vel filias absque justa causa compellant ad matrimonium ineundum, seu à matrimonio contrahendo impediunt, & abstinere cogant.

Parentes contra debitam filii bonam educationem spiritualem graviter peccant, si filios in bonis moribus, & necessariis ad salutem per se, vel per alios instruere non curent; Item si occasiones peccandi ab ipsis non removeant, vel in locis, aut domiciliis suspectis, & periculosis habitare permitant, aut aliis peccaminosam vitam agere sinant. Item si consilio, aut filias dissolutas pro posse non corrigant, & juxta exigentiam non puniant; in his enim parentes non tantum peccant contra virtutem charitatis, sicuti quisvis alii proximum delinquentem corrigere negligentes, sed etiam contra virtutem justitiæ, quia parentes jure divino naturali obligantur filios educare ad bonum, & avertere à malo. Unde parentes catholici in illis regionibus, ubi catholici contrahunt matrimonia cum acatholicis, si moraliter possint, tenentur sub mortali curare, ut proles educatur catholice, ut ex aliis notant Busembaum lib. 2. cap. 4. dub. 3. num. 7. La Croix *ibid. num. 95. & 100.*

Parentes nequeunt licite occidere filias in adultério deprehensas; Vide *verb. Adulterium art. 2. d. num. 10. usque ad finem. (Lit. B. pag. 260. col. 1.)*

Parentes nequeunt licite occidere filios suos banitos, nisi aliter ab armis contra patriam averti non possint, quia in tali casu prævalet bonum universale patriæ, quæ est communis omnium mater. Ita Layman lib. 3. part. 2. tract. 3. cap. 2. num. 2. La Croix lib. 3. part. 1. num. 790. & alii passim; arg. l. Minime de Relig. & sumpt. fun.

Parentes in casu necessitatis, si nullus alius existat, non possunt baptizare proprios filios sine solutione conjugii, seu absque debiti matrimonialis præjudicio; Vide *verb. Baptismus art. 4. num. 41.*

Parentes peccant graviter filios etiam consentientes castrando, ut evadant præstantiores musici; Cum enim nemo sit dominus membrorum sui corporis, tanto minus erunt parentes domini membrorum corporum suorum filiorum, adeoque &c. Sic Layman Tanner. Bonacia. Lezana, & alii, quos affert, & sequitur Diana part. 6. tract. 8. resol. 36. Quartus de Sacris Benedictionibus. tit. 3. sect. 17. *difficult. quarta, Busemb. l. 2. part. 1. tract. 4. cap. 1. dub. 1. resol. 2. & alii passim. (Vide verb. Eunuchus.)*

Parentes dubitantes an proles adulterinæ, seu non legitimæ sint à se genitæ, vel ab aliis, quam obligationem contrahant? Vide *verb. Adulterium art. 3. d. num. 20.*

Parentes, & in qua necessitate sint à suis filiis subveniendi præferenter ad alios; Vide *verb. Filius d. num. 91. ad 99.*

Parentes ut subveniantur, in qua necessitate, & quomodo possint, vel debeant filii exire de religione, Vide de *verb. Filius d. num. 100. ad 104.*

Parentes, quo jure, & in qua necessitate possint vendere suos filios; Vide *verb. Filius d. n. 105. & 112.*

Parentes, quando, & quibus modis amittant patriam potestatem super filios; Vide *verb. Filius d. num. 118. ad 125.*

Pa-

44 Parentes spirituales, an teneantur alere suos filios spirituales in defectu parentum naturalium, vid. *dict. verb. Filius num. 136.*

45 Parentes an, & ob quas causas possint filios exheredare, vide *verb. Exhereditatio.*

46 Parentes contrahentes sponsalia pro liberis necdum septenniibus invalide contrahunt, nisi liberi septennio majores approbaverint; *cap. unic. de desponsat. impuber. in 6. Sic Communis Doctor. teste La Croix lib. 7. part. 3. num. 118. Parentes etiam invalide contrahunt pro impuberibus septennio majoribus; cit. cap. unic. de despon. impub. in 6. La Croix loc. cit. & alii communiter.*

48 Parentes possunt per se loquendo esse testes matrimonii prolium suarum; Vide *verb. Impedimenta Matrimonii art. 2. num. 88.* In multis autem casibus sunt suspecti, & manus testis implere non possunt;

Unde Card. de Luca de *matrimon. disp. 2. num. 16. citans Passer. Alex. Monach. Mascard. docet, si v. g. Pater agat pro valore matrimonii, ut salvet honorem filia, tunc talem partem potius esse partem interessatam, & principalem in causa; ideoque non posse implere manus testis. Hinc Joannes Kugler de *matrimon. & sponsalib. num. 343. La Croix lib. 6. part. 3. num. 757. & alii dicunt parentes in multis casibus merito esse suspectos, nec sufficere.**

49 Parentes, quamvis non teneantur obligatione aliqua particulari benedicere propriis filiis benedictione materiali, id est, expressa verbis, & signis externis, cum hac solum ex beneplacito, & in signum benevolentie soleat conferri à parentibus propriis filiis; tenentur tamen eis benedicere benedictione formali in ordine ad finem, ad quem dirigi solet, videlicet ut bene sit filius quoad animam, & corpus, id est, procurare, & à Deo precari bona, quæ sunt illis necessaria ad salutem animæ, & corporis, quia jure naturali tenentur eorum curam habere quoad eorum majus bonum spirituale, & temporale. *Communis.* Hinc peccant parentes maledicentes filiis suis maledictione formali, id est, imprecantes eis vere ex animo malum sub ratione mali, cum vero desiderio, ut illud malum eis eveniat, adeoque tenentur parentes hanc circumstantiam in confessione explicare, quia in hoc casu maledictio continet specialem malitiam contra virtutem pietatis; quæ malitia erit mortalis, si malum filiis imprecatum sit grave, & venialis, si malum imprecatum sit leve ratione parvitatis materiæ; Sic *Communis Doctorum, cum S. Thoma 2. 2. quæst. 76. art. 1.*

50 Si parentes maledicant filiis solum materialiter, id est, non ex animo, ut malum aliquod illis eveniat, sed ex ira quadam, & impatientia, peccant solum venialiter, quia tunc maledictio, ultraquam quod non est animo deliberato, non opponitur charitati, cujus obligatio gravis est, sed mansuetudini, vel patientiæ, quæ virtutes levius obligant. Sic Molina, Navarr. & alii, quos affert, & sequitur Laym. l. 2. tract. 3. c. 8. & alii passim.

Vid. *addit. omiss. in fin. tom. pag. 395.*

¶ Etsi parentes materialiter filiis maledicant, possunt peccare mortaliter ratione scandalii, seu mali exempli, & pravi habitus. ¶

51 Datur Episcopo facultas absolvensi pro suo arbitrio in forma privata ob carcerationem Clerici factam per ejus parentes. Sac. Congr. Immunit. in *una Civitatis Ducalis* 19. Feb. 1695. lib. 1. decret. Valleman. pag. 171.

¶ De jure occidendi, vendendi, tum exponendi liberos secundum jus civile Romanorum, vide contraria inter se scripta Noodt. in libro singulari: *Julius Paulus, sive de partu expositione, & nec apud veteres, & Bynkershoek in opusculo. De jure occidendi, vendendi, & exponendi liberos apud veteres Romanos, tum ejusd. Noodt. in Amica Responsione ad difficultates Julii Pauli, sive libro de*

FERRAR. BIBLIOT. TOM. VII.

partu expositione & necè nuper motas à Viro amplissimo Cornelio Bynkershoek &c.

Hoc ipsum argumentum illustravit etiam, & quidem accommodatè tum ad theoriam, tum ad praxim A. Carena de *Partu c. 4. per tot. ubi de moribus, modisque exponendi, de conditionibus expositorum, de panis expositivum, de cura in expositos adhibenda, de sumptuum in eosdem erogatorum causa & repetitione, & demum de sanguinolentis tract. Consule eum ubi res postulat.*

(Præter alia, quæ hic in præcedentium comprobationem (de eis hispanicis dispositionibus loquitur, parentum obligationes demonstrantibus) afferri poterant: videre expedit *lit. A. pag. 65. col. 1. pag. 97. ad 114. & pag. 120. lit. D. post num. 13. insertum, atque novis addit. hisp. amplificatum.*)

PAROCHIA, PAROCHIALIS, PAROCHIANUS.

SUMMARIUM.

- 1 PAROCHIA nomen quodupliciter sumatur: quid aliud nomen possit aptari: quæ veteri in tempore circa parochiarum distinctionem: à qua sunt erigenda: & ad earum constitutionem requisita, ad num. 15.
- 16 Quæ intervenire debeant in novæ erectione: distinctio parochiarum juxta loca: parochialis quomodo intelligitur, & quibus ex causis ita denominatur, atque ad ejus probationem, ad num. 21.
- 22 Jura parochialia, & parochia competentia assignantur, ad num. 32.
- 33 Quando quis parochianus efficitur, etiam in saeculis ecclesiis habet: quæ interveniendæ in unione, suppressione, & translatione parochialitatis, ad num. 41.
- 42 Auctoritas supplementa inserta animadvertet, ad num. 75.
- 76 Additiones ex aliena manu subnectuntur, ad numer. 80.

PAROCHIA sumitur dupliciter, scilicet strictè, seu proprie, & large, seu improprie. *Communis.*

Parochia large, & improprie sumpta intelligitur pro tota diocesi, ut clare patet ex c. Si quis ordinatus 4. dist. 92. ibi: "Si quis ordinatus Episcopus ad parochiam, cujus est electus, &c." & ex c. Si quis Episcopus 5. ead. dist. 92. ibi: "Si quis Episcopus ordinatus ad parochiam, cujus est electus, &c." & c. Si qui Episcopi 6. ead. dist. 92. ibi: "Si qui Episcopi ordinati sunt, neque recepti ab alia parochia, in qua fuerant denominati." & ex c. Ad Apostolicæ Sedis regimen 20. de decimis, ibi: "De parochia unius Episcopi in diocesi alterius transferatur &c." Unde etiam parochianus pro diocetano sumitur in c. Nullus Episcopus 3. de Parochiis, ibi: "Nullus Episcopus alterius parochianum judicare præsumat."

Parochia strictè, & proprie sumpta est certus territorii districtus per Papam, vel Episcopum determinatus, habens unum rectorem stabilem, cum potestare populam ibidem existentem regendi, & judicandi, eique sacramenta, atque divina administrandi. Est in re communis. Parochia ita nuncupatur quasi partito Curæ. Rota recent. part. 15. decis. 39. n. 10. Abbas in *Rubr. de parochiis n. 1. Archidiaconus in c. Ecclesias 1. caus. 13. q. 1. Fagnan. in c. Lueræ 1. de matrimonio contracto contra interdictum ecclesiæ num. 12. Barbosa de officio, & potest. Parochi part. 1. num. 16. cum pluribus ibi citatis; Parochia enim grece, latine Partitio dicitur.*

F

Fag-

Ragnan. loc. cit. & alii. Et sic parochia dicitur quasi paritio curæ, quia parochus, seu rector ecclesie curam habere debet animarum totius populi intra limites ecclesie sibi assignate congregati, c. Ecclesias 1. caus. 13. quest. 1. c. in Ecclesiis 1. de capellis Monachor. cap. Cum singula 32. de prebend. in 6. cum similibus. Parochia vocatur etiam Parochia, hoc enim nomine usos fuisse antiquos christianos demonstrat S. Augustinus lib. 14. de Civ. Dei his verbis: Fuit Presbyter nomine Restitutus in parochia Calamensis ecclesie. Parochia autem græce, latine Accolarum conventus, seu habitatio, aut cura dicitur. Barbosa loc. cit. Calvin. in magna Lexico Jurid. verb. Parochia: Ubi ex aliis notat non primum parochiar, sed parochias appellatas esse.

7 Parochia antiquius non erant distinctæ, sed Episcopus curam animarum totius diocesis per Sacerdotes pro suo libitu missos, & ad nutum amovibiles administrabat, assignatis cuilibet laboranti Sacerdoti illi sustentationis mediis, quæ Episcopus pro tali judicabat sufficientia, ut propterea tota diocesis merito diceretur Parochia, arg. cit. Juribus sub num. 2. Successu tamen temporis, cum populus christianus magis, magisque in dies augetur, Dionysius Papa XXIV. post S. Petrum secatis, & partitis diocesis in plures ecclesias parochiales, seu parochias, singulas has parochias singulis Sacerdotibus assignavit, ut unusquisque proprium haberet territorium, seu certum districtum, ab hac partitione, supra ut dictum fuit, appellatum parochiam, intra cuius fines, ac limites populum inibi existentem in spiritualibus debite pasceret, ac regeret, nec unus alterius fines, & limites ingrederetur, ut expresse habetur in cap. Ecclesias 1. caus. 13. q. 1. ubi dicitur Papa Dionysius sic ait: "Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus, parochias, & cæmeteria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus, ita videlicet ut nullus alterius parochie terminos, aut jus invadat, sed sit unusquisque suis terminis contentus, & taliter ecclesiam, & plebem sibi commissam custodiat": & quod prima parochiarum divisio facta fuerit à Dionysio Papa, habetur etiam in c. Pastoralis 9. de his, quæ fiunt à Prelatis sine consensu Capituli, ibi: Cum auctoritate Dionysii fuerint parochie limitate: & testantur passim Doctores, & signanter plurimi congesti à Barbosa de offic. & potest. Episc. cit. part. 1. c. 1. num. 18. Quamvis, ut ibi ipse notat, Card. Baron. Annal. eccles. tom. 3. ad num. 325. Vers. Unde hic: & Theoph. Parochialis part. 1. de concil. Paroch. art. 1. pag. 4. existimaverint, ab ipsismet Apostolls factam divisionem parochiarum.

10 Parochias erigere, & dividere, præter Papam, solus potest, & debet Episcopus, c. Nullus omnino 11. caus. 16. quest. 7. & docet ibi Barbosa cum communi Doctorum; Accedit Concil. Tridentini dispositio in ses. 21. de reformat. c. 4. & ses. 24. de reformat. c. 13. Ad constitutionem parochie, seu ad hoc, ut aliqua ecclesia dicatur, sit, & probetur parochialis, plura requiruntur. Primo igitur requiritur, ut auctoritate Papæ, vel Episcopi sit erecta, ut patet ex dictis num. antecedenti; Erecta tamen præsumitur auctoritate Papæ, vel Episcopi ex lapsu temporis, quo rector ecclesie publice divina officia peregit, sacramenta administravit, ac reliqua parochialia præstitit, & recepit. Barbo. loc. cit. num. 39. Afflicti. decis. 368. num. 5. Lancell. Gallia const. 124. num. 6. vol. 1. & alii passim.

12 Secundo requiritur certum territorium, seu certus locus, ac districtus cum certis limitibus ab Episcopo determinatis; arg. cit. cap. Ecclesias 2. caus. 13. quest. 1. & cit. ses. 21. de reformat. cap. 4. & ses. 24. de reformat. cap. 13. Rota recent. part. 2. decis. 238. num. 1. & seq. part. 18. tom. 1. decis. 32. n. 2. & seq.

13 Tertio requiritur, quod in ipso designato loco,

seu districtu sint saltem decem mancipia, seu, ut alii legunt, municipia, id est, decem domus, aut familiae, cap. 3. Unio 3. caus. 10. q. 3. ubi statuitur, Ut ecclesia, quæ decem haberet mancipia, super se habeat Sacerdotem, quæ vero minus decem mancipia habuerit, alius conjugatur ecclesie; Barbo. loc. cit. num. 30. Reiffenstuel lib. 3. Decret. tit. 28. num. 6. Carat. de juribus Paroch. tit. 3. cap. 3. in fin. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 31. num. 24. & alii cum Rota recentior. part. 11. decis. 348.

Quarto requiritur, ut unum solum, ac perpetuum rectorem, seu parochum habeat cum cura animarum, & potestate fori penitentialis ipsi soli competente, ita ut iure ordinario nullus alius, sed solus, ac unicuique parochus prædictam habeat curam, & potestatem. Concil. Trid. ses. 24. de reformat. c. 13. ibi: "Cuiusque parochie suum perpetuum, penitentialiterque parochum assignet; qui eas cognoscere valeat, & à quo solo licite sacramenta suscipiant." Cum non ignoret, q. de prebendis, ibi: "Cum ignoret, quod una ecclesia unus debeat esse Sacerdos, & c. Extirpanda 30. eod. tit. 5. Quæ vero: ibi: Qui vero parochiam habet ecclesiam, non per Vicarium, sed per se ipsum illi deseruiat, in ordine ad quem ipsius ecclesie cura requiritur, nisi forte dignitati vel præbende parochialis ecclesia sit annexa, in quo caso concedimus, ut qui talem habet præbendam, vel dignitatem, cum oporteat eum in majori ecclesia deseruire, in ipsa ecclesia parochiali idoneum, & perpetuum habeat Vicarium canonicè institutum." Rota recent. part. 18. tom. 1. decis. 32. num. 2. & seq.

Quinto requiritur, quod non facta aliqua electione sepulture per defunctos, & non existentibus sepulturis majorum in dicta ecclesia, corpora ibi sepeliantur tamquam in parochiali; in qua concurrentibus prædictis defuncti debent sepeliri, c. Ex parte 4. de Sepulturis; Rota in Florentina parochialis 22. Maii 1630. coram Cocchino Decano; Barbosa loc. cit. num. 30. & alii.

Novæ parochie erectio, & antiquæ dismembratio quomodo, quando, & quibus concurrentibus fieri possit, & debeat, vide verb. Dismembratio num. 10. usque ad finem.

Pluribus in locis adsunt parochie, quæ non distinguuntur per domos materiales, & per determinatos districtus locorum, sed per populos, seu familias, & istæ vocantur parochie Gentilitiæ earundem familiarum, ita ut si eadem familie commotentur in districtu alterius parochie subsint, nihilominus jurisdictioni suæ parochie Gentilitiæ, & has parochias non extendi ad alias familias diversas ab illis, pro quibus erectæ fuerunt, ad longum probat Ursaya 1. 8. part. 1. discept. 24. per tot.

Parochialis ecclesia dicitur, quæ habet jus consistens in cura animarum parochianorum ipsius sacramenta ministrans, & proprium habens rectorem, seu parochum; parochialis enim nihil aliud est, quam cura animarum. Rota recent. part. 15. decis. 49. n. 3. Barbosa loc. cit. num. 26. Abbas in Rubr. de paroch. Carat. de juribus paroch. 1. 1. cap. 3. Bellamer. cons. 38. n. 8. Gutier. allegat. 8. n. 6. & alii passim. Parochialis ecclesia, ut probetur, non sufficit, quod rector administrat sacramenta, nisi etiam ostendat, quod de necessitate administrat, & populus ab eodem necessitate recipiat; Glossa in Clem. Dudum, de sepulturis, verb. Impendat: & ibi Imola numer. 32. Gonzal. ad reg. 8. Cancell. gloss. 6. num. 36. Mantica decis. 48. n. 5. Greg. XV. decis. 387. n. 7. Barbo. loc. cit. n. 28. & alii cum Rota recent. part. 2. decis. 228. n. 4. & part. 9. t. 1. decis. 110. n. 21. parochialis ecclesia de jure non præsumitur, sed est probanda; Rota recent. part. 2. decis. 228. n. 4. decis. 300. n. 5. Barbosa loc. cit. n. 36. cum pluribus ibi citatis. Unde in dubio est plene, & concludenter pro-

probanda ab eo, qui talem esse asserit, & se fundat in ea; Rota recent. part. 2. decis. 228. num. 3. part. 11. decis. 345. num. 9. part. 13. decis. 371. num. 2. Barbosa loc. cit. num. 36. & alii plures apud ipsum.

Jura parochialis ecclesie, & parochi competentia, ultra potestatem fori penitentialis, sunt sequentia. I. Quod parochiani proles suas proprio parochi teneantur baptizandas offerre; arg. Concil. Florent. in decreto Eugenii IV. & tenet Barbosa de offic. & potest. Parochi part. 1. cap. 18. num. 1. Layman lib. 5. tract. 2. cap. 7. num. 2. Reiffenstuel lib. 3. decret. tit. 29. cit. num. 9. & ipsi testibus alii communiter dicentes, parochianum graviter peccare, si absque licentia proprii parochi prolem suam baptizandam alieno offerat; Intellegit tamen ubi non reperitur specialis ecclesie baptismalis assignata pro omnibus baptizandis cumjuncumque parochie, quia tunc presbyter ibi ad hoc deputatus habetur pro proprio omnium parochi quoad collationem baptismi.

II. Ut saltem in paschate Eucharistia sacramentum suscipiant in propria ecclesia parochiali, c. Omnis utriusque sexus 12. de penit. & remis. Unde si quis communicaret in ecclesiis Regularium infra tempus paschale animo satisfaciendi præcepto ecclesie, non satisfaceret, quia in Canone Omnis utriusque præcipitur à proprio parochi Eucharistiam sumi. Sac. Congr. Concil. 23. Jan. 1588. Immo Regularis non possunt in die paschatis administrare secularibus Eucharistiam, neque per modum devotionis, etiamsi tales personæ seculares in alia die satisfecerint præcepto, ut respondit Sac. Congr. Concil. in Burdigalen. 9. Junii 1644. in Senonen. 11. Jan. 1650. & in Mechtin. 31. Jan. 1682. III. Ut solum à proprio parochi sacramentum Extreme Unctionis percipiant Clem. 1. de privilegiis, ubi etiam exemplis, & privilegiatis Regularibus sub pena excommunicationis prohibetur, ne absque licentia parochi sacramentum hoc alicui parochiano administrent. IV. Quod mortui in parochiali ecclesia sepeliri debeant, nisi alibi sepulturæ majorum habeant, vel propriam eligant; arg. cap. Nos instituta 1. c. Ex parte 5. & c. In nostra 10. de sepulturis juncto c. 1. & 3. eod. in 6. Et si alibi sepulturam majorum habeant, vel propriam eli-

Etiam inter requisita, per se loquendo, ad constitutionem Parochie, merito connumeretur cada- vera ibi sepeliendi; per consequens, unum ex juribus ecclesie parochi competentibus, funerandi æstimetur, & non secus ac quotæ decimarum perceptio; hoc tamen non officit, ut absque prædictis in actu requisitis, iuribusque relatis, parochialis dicatur ecclesia. Statutum demonstratur regia in basilica patriarchali, eorum cadavera, qui regis in aulis, territorialive separatis à vita migraverint, parochiali proximiori, & non alibi sepelienda tradi, nisi peracta sepultura electio fuisset. Videbatur consequenter asserendum, prædialia decimas quoad prædicta separata territoria ad novam parochialem basilicam spectare debere: nihilominus ad parochialem ecclesiam regis palatii proximiorum, ac alias parochiales, quæ decimas ante earundem literarum expeditionem percipiebant, pertinere, etiam fuit declaratum (1).

Quidquid sit circa amobilitatem ad nutum in beneficiis Curatis Indiarum, dum per Regulares in secularium defectu reguntur, erit non obliviscendum ad faciendam remotionem, Vicegerentis in patronatu notitiam requiri (2); ideo videbatur asserri posse, non sufficere ut à solo Superiore Ordinario, aut Regulari fiat (3).

(1) Vid. verb. Capellanus militum. (2) L. 9. tit. 15. lib. 1. Ind. Todas las veces que los Provinciales hubieren de proponer algun Religioso para la Doctrina, ó administracion de Sacramentos, ó remover, conforme à las reglas de nuestro patronazgo, al que hubiere provisto, darán noticia à nuestro Virrey, Presidente, Audiencia, ó Gobernador que tuviere la superior gubernacion de la Provincia, y al Prelado Diocesano, y no se removerá al que estuviere provuido, hasta que hayan pueso otro en su lugar. (3) L. 38. tit. 6. ejusd. Por quanto por el derecho de nuestro patronazgo real que se practica en nuestras Indias Occidentales está dada la orden que se ha de tener en la presentacion y provision de

gant, debent canonicam portionem, Quartam funeralem, propriæ parochie, cit. c. 8. Nos instituta 1. cap. Fraternalitatem 3. c. De his 4. cap. Cum supra 8. cap. Certificari 9. cap. In nostra 10. de sepulturis, cum similibus. V. Quod in ecclesia parochiali coram proprio parochi matrimonia solemniter rite celebrentur, c. 1. de clandest. desponsat. c. 1. caus. 30. q. 5. juncto Concil. Trid. sess. 24. de reformat. matrim. c. 1. VI. Quod parochi solvi debeant decimæ, primitiæ, & oblationes, iuxta dicta sub verb. Decimæ & sub verb. Oblationes. Vide ibid.

Alias ad jura parochialia spectabat, quod parochiani diebus Dominicis, & festivis missam audirent in ecclesia parochiali, c. Ut Dominicis 2. de parochiis. Nunc autem possunt parochiani missas audire in ecclesiis regularium, & aliis non parochialibus, & ibi satisfacere præcepto de audiendo missam, ut dictum est sub verb. Missa art. 16. num. 10. & 11.

Alias ad jura parochialia spectabat etiam, quod parochiani semel in anno sua peccata proprio parochi confiterentur, c. Omnis utriusque 12. de penit. & remis. ibi: "Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata semel in anno proprio confiteatur Sacerdoti." Nunc autem certo satisfaciunt, qui confitentur Regularibus, aliisque Confessariis ab Ordinario approbatis, ut patet ex Clement. Dudum 2. de Sepulturis 8. Statutum etiam: Extrav. Joann. XXII. Vas electionis, de Hereticis; Extrav. Benedicti XI. Inter cunctas, de Privilegiis, ex const. Leonis X. incip. Deum intra mentis arcana 5. 6. ex const. Pauli III. incip. Licet debitum; const. Clementis VIII. incip. Significatum fuit Nobis: Hinc dicentes nunc, quod Confessi Religiosis ab Episcopo approbatis teneantur iterum eadem peccata proprio parochi confiteri, suspecti sunt de hæresi; & possunt per Inquisitores puniri, quibus sunt denunciandi; Diana part. 4. tr. 8. resol. 102. Nicol. in Floscul. verb. Confessio n. 7. Viva ad propositionem. 27. ex damnatis ab Alex. VIII. num. 1. ubi ex Joanne de La Croix in statu Religioso lib. 2. cap. 6. advertit id fuisse statutum à Sixto IV. Anatem benedictiones, & distributiones candelarum, cinerum, & palmarum sint de Juribus mere

parochialibus, Vide *verb.* Confraternitas *art. 2. numer. 4. in respons. ad 5. dubium.*

26 An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, & similia, sit de iuribus mere parochialibus; *Vid. ibidem in responsione ad 6.*

27 An functiones omnes hebdomadæ sanctæ sint de iuribus mere parochialibus; *Vid. ibidem in resp. ad 7.*

28 An celebratio missæ solemnissimæ feria quinta in Coena Domini sit de dictis iuribus mere parochialibus; *Vide ibidem in responsione ad 8.*

29 An prima pulsatio campanarum in Sabbato Sancto sit de iuribus parochialibus; *Vid. ib. in resp. ad 9.*

30 An celebratio missarum solemnium per annum, sive pro vivis, sive pro defunctis, sit de dictis iuribus parochialibus; *Vide ibidem in resp. ad 10.*

31 An expositio quadraginta horarum, & benedictio, quæ fit super populum, sit de dictis iuribus parochialibus; *Vide ibidem in resp. ad 11.*

32 An expositio, quæ fit cum reliquiis, vel sacris imaginibus, & benedictio, quæ cum eis fit super populum, sit de dictis iuribus parochialibus; *Vide ib. in resp. ad 11.*

33 Parochianus allucijus parochiæ, ut quis efficiatur, sufficit solum habitationis principium, nec requiritur, quod ibi pro majori anni parte habitaverit. *Rota recent. part. 4. decis. 629. n. 3. & 9. part. 15. decis. 252. n. 20. Barbosa de offic. & potest. paroch. p. 2. c. 2. n. 35. & seq. cum pluribus ibi citatis. Intelligit tamen de eo, qui contrahit domicilium animo non redeundi, secus vero si de tali animo nullibi constat. Rota recent. part. 4. tom. 3. decis. 629. n. 3. & 9. part. 1. decis. 348. n. 3. & seq. p. 1. decis. 162. n. 21. Efficitur tamen parochianus illius parochiæ, qui ad habitandum in ea se contulit ad evitanda impedimenta, quæ parentes suo matrimonio præbere intendunt. Rota recent. part. 15. decis. 60. n. 28.*

36 Et quoad hoc habentur plures casus sic decisi à Sac. Congr. Concil. & referuntur sub *verb.* Impedimenta matrimonii *art. 2. n. 77. Vid. ib.* Plures alia quoad hoc resolutiones dicte sacre Congr. Concil. referuntur à Barb. de offic. & potest. paroch. part. 2. c. 21. & ab Ursaya tom. 2. part. 1. decis. 10.

37 Quando quis habitat in confinio duarum ecclesiarum parochialium, censetur parochianus illius, in qua domus aditum magis frequentatum habet, Aloysius Riccius in *praxi rerum fore ecclesiast. decis. 333. in edit. aliis resol. 510. in 2. edit. Barbosa de offic. & potest. paroch. part. 2. c. 21. num. 43. & de offic. & potest. Episcop. part. 2. alleg. 32. num. 71. & alii. Parochianus, si in una ecclesia solet audire missam, in altera vero recipere sacramenta, canonice portio debetur ei, à quo recipit sacramenta; *cap. Non instituta 1. de sepultur. Barbos. de offic. & potest. Parochi part. 3. cap. 25. Silvester in Summa *verb.* Canonice portio num. 11. Fr. Emmanuel q. Regul. t. 1. q. 39. art. 5. & alii.**

39 Parochiani non necessario sunt vocandi in unionem parochialium. Sac. Congr. Concil. in *Fulginatione. 30. Januar. 1723.* Parochialitatis suppressio, & cura translatio sustinetur, quando ex iuxta causa & cum superioris permissione facta fuit. Sac. Congr. Concil. in *Cesenat. 31. Jul. 1732.*

41 Parochianus ex justa causa eximi potest pro determinato tempore à Jurisdictione sui parochi. *Sic in una Romana 5. Apr. 1690. ut refert Ursaya 1. 1. part. 1. decis. 10. à num. 90.*

42 Parochiales ecclesiæ dignioribus sunt conferenda. *Benedictus XIV. const. 68. incip. Cum illud §. 1. & 8. Parochialium ecclesiarum collatio, prævio concursu, & examine fieri debet. Idem ib. Vide tom. 2. *verb.* Concursus, & tom. 3. *verb.* Examen. In electione dignioris in parochialium provisione potest Episcopus procedere ex informata conscientia. *Idem ib. §. 14. & 16. Si autem appellatum fuerit, causas**

sibi notas significabit Judici Superiori per literas familiares. *Idem ibid. Vel Cardinali Præfecto Congregationis Concilii. Idem ibid.*

Quando parochialis collatio spectat ad Datariam Apostolicam, concursus ab Ordinario indicit, & compleri potest non petita venia. *Idem ibid. §. 19. Electio autem dignioris ab eo fieri potest, si agatur de beneficiis curatis reservatis ratione mensium, nec tenetur transmittere acta concursus, nisi postulata fuerint. Idem ibid. Si vero beneficium alia qualibet ex causa reservatum fuerit, acta transmittit, nec digniorem pronuntiabit. Idem ibid.*

Parochiales ecclesiæ conferri nequeunt Canonice Regularibus Lateranensibus absque indulto apostolico. *Idem const. 125. incip. Quod inscrutabili, per tot. Vide tom. 2. *verb.* Beneficia, & ad *verb.* Canonice Regulares: Nec presbyteris sive Clericis Congregationis Missionis. Idem const. 69. incip. Quo magis §. 4. Vide tom. 5. *verb.* Missionarii.*

Frequentia populi ad ecclesiam parochialem turbari non debet per celebrationem solemnitatum in aliis ecclesiis. *Idem const. 42. incip. Etsi minime §. 15. Ante missam parochialem celebrari non debent missæ in ecclesiis ruralibus parochiæ proximis. Idem ibid. §. 14. In remotioribus autem Sacerdos celebrans doctrinam populo tradere debet. Idem ib. parochiali ecclesiæ vacanti Vicarius ab Episcopo deputari statim debet. Idem const. 68. incip. Cum illud §. 16.*

Parochiæ Græcorum committi debent illis, qui in seminariis Italo-Græcorum, seu Albanensium trium ad minus annorum spatium versati sunt. *Idem const. 17. incip. Et Pastoralis §. 5. Possunt tamen Ordinarii Latini alios Presbyteros idoneos parochiis Græcis velut Coadjutores adungere. Idem ibid. Numquam tamen Monachis Græcis, seu Calogeris animarum cura debet committi, nisi ex necessitate, vel alia justa causa. Idem ibid. §. 9.*

Parochiæ Italo-Græcorum committi non debet Italo-Græcis à Latino Diocesano Episcopo latine ordinatis, sed ipsis præfici debent Græci, vel Albanenses, catholici tamen, sive advenæ, sive indigenæ græco ritu viventes. *Idem ibid. §. 9.*

Parochialia munia in Græcos Melchitas soli exercere possunt Fratres Ordinis Minorum Custodie Terræ Sanctæ in defectu parochi ritus græci. *Idem const. 87. incip. Demandatam §. 13. Parochialia emolumenta jure percipiuntur à Missionariis exercitibus curam animarum in defectu parochi catholici nationalis. Idem ibid.*

Parochiales ecclesiæ Regularium in Indiarum regionibus subsunt Episcoporum jurisdictioni. *Idem tom. 2. const. 1. incip. Quamvis: Parochi ecclesiarum Regularium, sive Regulares, sive seculares sint, subsunt jurisdictioni Episcopi in illis, quæ animarum curam respiciunt. Idem ibid. Parochi Regulares curam animarum assumere nequeunt, sine examine, approbatione, & consensu Episcopi. Idem ib.*

Ad vacantem ecclesiam parochialem tenetur patronus ecclesiasticus, etiam in foro externo, presentare magis idoneum, seu digniorem ex approbatis ab Examinatoribus, utrumque enim forum respiciunt *verb.* Concil. Trid. c. 18. *sess. 24. ibi: Quem Patronus digniorem inter approbatos ab Examinatoribus judicabit, Episcopo presentare teneatur. Benedictus XIV. de synodo diocesana lib. 4. cap. 8. num. 8. Episcopus debet iudicio patroni acquiescere, & instituere sic à patrono presentatum, si ex approbatis ab Examinatoribus nullus reclamet; cum Concilium Tridentinum edixit sine ulteriori indagine instituendum, quem patronus tamquam digniorem presentavit. Sed si aliquis ex approbatis de iudicio patroni conqueratur, & hac de causa ad Episcopum provocet, debet Episcopus iudicis partes assumere, & diligenter inquirere, an rectum fuerit iudicium à*

patrono latum, de sui presentati meritorum supra reliquos ex approbatis præstantia. *Idem ibid. Si quis appellat à sententia Episcopi, cujus iudicium sit conforme iudicio patroni, appellatio est admittenda solum in devolutivo. Si vero sit difforme, est admittenda etiam in suspensivo, & interim nullus est instituendus usque ad sententiam iudicis appellationis, & parochialis est administranda ab Economo. Idem ibid. Quod totum statuit tom. 2. Bullar. const. 4. incip. Redditta.*

Si parochialis ecclesia fuerit jurispatronatus laicorum, vel mixti, admittendus est sine concursu presentatus à patrono, & idoneus ab Examinatoribus reperitus. *Concil. Trid. loc. cit. ibi: Quod si jurispatronatus laicorum fuerit, debeat qui à patrono presentatus erit, ab iisdem deputatis, ut supra, examinari, & non nisi idoneus reperitus fuerit, admitti.* *Idem in cit. cap. 8. num. 9. ubi subjungit, quod idem declaratum fuit à Sac. Congr. Concil. 5. Febr. 1628. de parochiali jurispatronatus mixti, id est, partim ecclesiastici, & partim laicalis, ne iura laici ob consortium cum ecclesiastico ulla ex parte læderent. Si autem ab uno, aut pluribus patronis laicis, gaudentibus æquali jure, plures ad vacantem parochialem sint nominati, & Episcopo presentati, neque ullus ex presentatis retulerit à patronis plures voces, quam ceteri; tenetur Episcopus indicare concursum inter eosdem presentatos, atque illum eligere, quem ex approbatis ab Examinatoribus synodalia iudicaverit magis idoneum, ut decrevit eadem Sac. Congr. Concil. apud ipsum cit. num. 9. & Barbosa de offic. & potestate Parochi part. 1. cap. 2. num. 130. Episcopi jus eligendi digniorem in prædictis omnibus, sede episcopali vacante, transit ad Capitulum; & ab hoc ad Vicarium capitularem sine ulla penitus reservatione. *Idem c. cap. 8. num. 10. Decreto Sac. Congr. Concil. in Elven. 1. Decemb. 1736. & ex pluribus aliis jam ad id allatis tom. 2. *verb.* Capitulum art. 3. à num. 58. ad 63. Vide ibid.**

Parochiæ, aliæque curata beneficia, & officia Indiarum Occidentalium, sub lato asserto privato jure Regularium, secularibus Sacerdotibus canonice conferuntur. *Benedict. XIV. const. incip. Cum alias §. 2. & 3. Immo si ob defectum Sacerdotum Regularium isdem præficiuntur Regulares, hi tamquam amovibiles ad nutum, possunt, nulla expressa causa, & ab Ordinario, vel etiam à Superiore Regulari removeri. Idem ibid. §. 2. Et jam id statuerat ad instantiam Regis Catholici in alia sua constitutione incip. Cum nuper: confirmata, & declarata in hac ultima Cum aliis.*

Parochialibus ecclesiis Basilicæ Assiensis Sancti Francisci unitis, præficiendi sunt Vicarii seculares ad nutum amovibiles. *Benedict. XIV. const. incip. Fidelis Dominus §. 26.*

Canonice Regulares Præmonstratenses possunt obtinere & retinere perpetuo sine apostolica dispensatione ecclesiæ parochiales, etiam seculares, & Vicarias; Sic declaravit *Benedict. XIV. die 1. Septemb. 1750. const. incip. Oneroso.**

De etymologia verborum Parochia, Parochianus, Parochus, non sum sollicitus. *Vide de ea, si lubet, varias opiniones apud Bohemer. Jur. parochial. sect. 1. cap. 1. §. 1. & plur. seq.*

Nec sum sollicitus de origine parochiarum, an ea Tito in Creta, an Evaristo, an Anacleto, an Dionysio sit attribuenda; Confer itidem Bohemer. Jur. parochial. sect. 2. cap. 2. per tot.

Parochia est Societas quedam publica ecclesiastica ex parochis, & parochianis composita in certo districtu constituitis, & certis limitibus circumscriptis, vicibus parochianis ecclesiæ in illo districtu sine obligantur ad peragenda ibi sacra, & ad onera tum parochio, tum ecclesiæ præstanda. Pa-

rochus vero ad illa, quæ sui officii sunt? In parochia igitur considerari debent parochus, ecclesia parochialis, & parochiani.

Facile autem est hinc dignoscere, quid requiratur, ut ecclesia dici queat parochialis. Sed vide, si materie plenam discussionem desideres, Rotam in *Polycastren. Jurium parochialium 10. Januar. 1729. cor. clar. mem. Cincio, & in Subinen. Jurium parochialium 8. Maii 1733. cor. clar. mem. Calcagnin. & 8. Junii 1736. cor. clar. mem. Millin.*

At non ita facile est breviter tradere quis dicendus sit parochianus ad omnes præsertim effectus, tum si una in civitate de qua agitur sit parochia, tum & maxime si plures sint in ea parochiæ: Ad Bohemerum *Juris parochialis sect. 3. cap. 2. per tot.* qui argumentum hoc illustravit.

(Quamvis plurimæ dissimiles species ab auctore pertingantur, omissum nil videbitur, si, omni hic abjecta cunctatione, adeat Lector ad lit. A. ex pag. 192. *verb.* Cadaver: lit. B. pag. 283. 297. 304. 319. 364. lit. D. ex pag. 16. & 72. lit. E. pag. 149. & 154. *verb.* Quarta Funeralls, & *verb.* Regulares, præsertim in addit. hisp. & novis, videantur quæ seq. *verb.* notantur.

PAROCHUS.

ARTICULUS I.

Parochus quoad ea, quæ concernunt ejus nomenclaturam, electionem, atque approbationem.

SUMMARIUM.

- 1. Parochus apud Ethnicos qui dicebantur: in ecclesia Dei Sacerdotes: quare sic vocati: que discretio inter eos exhibetur. *Retiores, & Capellani etiam vocantur, ad num. 8.*
- 2. Qui vocentur Sacerdotes proprii: quales Curati: animarum curam obtinentium alia nomina: que persone ad eam sunt eligende: qui formati: concursus à quo incidendum, ad num. 16.
- 3. An sit approbandus Parochus in ecclesia exempta exercere intendens: ad quem pertinet examen, & approbatio vicariorum in ecclesiis unitis Ordini S. Joan. Hierosolym. ad num. 18.
- 4. Deputandus Parochus prævio examine, atque Episcopi consensu: approbatus in Urbe sub pretextu insufficientis literaturæ ordines non sunt ab Episcopo denegandi: & an possit iterum examinari semel approbatus, ad num. 34.
- 5. Additio, ex aliena manu subnectuntur.

Parochus apud Ethnicos olim dicebantur illi, qui Legatis publice Romam missis salem, & ligna præparabant, id est, illi, qui omnia necessaria Legatis Regum, Principum, ac Rerum publicarum hospitio receptis, suppeditabant; teste Acrone in illud Horatii lib. 1. Ser. Sat. 5. ibi:

Proxima Campano ponti, que villula restum
Præbuit, & Parochi, que debent, ligna, ralemque.

Et sic referunt Calvinus in *Magno Lexico juridico tom. 2. verb.* Parochus; Petrus Gregorius *Syntax. Juris lib. 36. c. 30. num. 9. Barbosa de offic. & potest. Paroch. part. 1. cap. 1. num. 1. & alii.* Unde quidam censent adinstar istorum dictos esse parochos in ecclesia catholica, eo quod sint Sacerdotes auctoritate Episcoporum ecclesiis præfecti, & plebibus, sive populis ut omnia necessaria ad pasceandas animas subministrant. Alii vero existimant parochum dictum esse quasi parocum, parocum autem Græcis est incolæ, sive habitator in loco, ut habetur in l. Pupillus 239. ff. De *verbor. significat.* ibi: